



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Angeli sunt substantiæ intellectivæ & volitivæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40701**

NATURAE ANGELICAE. 2

jecta absentia, ut hæc per illas intellectui sufficienter proxima fiant. Has species jam ab ortu suo vel congenitas habent, utpote in statu perfecto conditi, ita, ut convenienter statui suo mox operari potuerint; vel successive adquirunt. Et quidem Angeli perfectiores videntur habere species magis perfectas, *h. e.* ejusmodi, quæ & clarius, & plura objecta repræsentent. Quippe Angeli se invicem facultate intelligendi excedunt, id quod aptè colligitur ex Hierarchico eorundem Ordine.

Itaque Angeli naturaliter cognoscunt Deum (*abstractivè* tamen, & ex semet ipsis, vel ex cæteris creaturis, non *intuitivè*, cum Deus in se ipso naturaliter videri non possit) se ipsos, cæteros Angelos existentes, alias substantias naturales, tam corporeas, quàm incorporeas, & quidem *intuitivè*; quia vel in se ipsis, vel per species proprias objecta hujusmodi cognoscunt; non tamen *comprehensivè* Angelos superiores, quia perfectio cognitionis est juxta mensuram potentiæ cognoscentis. II. Possunt naturaliter Angeli certò & evidenter cognoscere futura necessaria, & à causis naturalibus ac necessariis oritura: cum enim effectus hujusmodi in causis suis determinati mentis humanæ aciem non fugiant, ab Angelica faciliùs certiusque perspiciuntur; nisi tamen Deus communem causarum cursum & seriem impediat, veluti cum sol stetit ad preces *Josue*. III. Et quidem Angeli effectus necessarios causarum naturalium ante cognoscunt, quàm eveniant. *Hoc enim differt inter illorum & nostram scientiam* (inquit autor Libri de cognitione veræ vitæ c. 6.) *quòd ipsi omnes causas (necessarias & naturales) rerum, antequam eveniant, præsciunt.*

7.  
Obje-  
ctum  
cogni-  
tionis  
Ange-  
licæ.

nos autem vix & cum magno labore investigamus eas, postquam res in actu constant.

8.

Non  
vident  
natu-  
rali-  
ter  
occul-  
ta  
cor-  
dis.

Quamvis eximia planè & singularis sit mentis Angelicæ vis & perspicacia, occultas tamen cordis humani cogitationes, & intra animæ substantialitatem abditos voluntatis actus naturaliter cognoscere non possunt. Hujusmodi enim secretorum cognitionem solius Dei propriam esse, testes sunt Sacre Literæ. Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum. 3. Reg. c. 8. v. 39. Prævarum est cor hominis & inscrutabile: quis cognoscat illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes. Jerem. 17. Omnia enim corda scrutatur Dominus, & universas Mentium cogitationes intelligit. 1. Paral. c. 18. Eadem fuit constans Ss. PP. sententia Quæ in corde hominum insunt (inquit S. CHRYSOSTOMUS Hom. 24. in Joann.) nosse solius est Dei, qui singillatim corda finxit. Tu enim, inquit, nosti corda solus Et ex antiquis nonnulli, Christum esse verum Deum, ex eo confirmabant, quod secretas mentium cogitationes sæpe in Evangelio cognovisse, & patefecisse monstraretur. Inde S. FULGENTIUS contra Arianos disputans, Christum esse Deum ostendit, Cypriani utens testimonio, qui quod Deum esse cordium inspectorem dixerat, id Christo nominatim attribuit L. de Orat. Dom. dicens: Quia Deus, non voces, sed cordis auditor est: nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes hominum videt, probante Domino & dicente: Quid cogitatis nequam in cordibus vestris (Luc. 15.) Et alio in loco (Apoc. 2) Et scient omnes Ecclesiæ, quia Ego sum scrutator renis & cor lis. S. AMBROSIIUS in c. 5. Lucæ: Dominus, inquit, salvos